



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. I. De Excellentia Rei quæ colenda proponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

Jesu, seu rem consideres quæ colenda proponitur; seu finem, propter quem cultus est institutus; seu actiones, ac virtutum exercitia, quæ complectitur; seu denique fructum quem parit; audacter pronuncio, nihil in Ecclesia nobilius, nihil excellentius, nihil præstantius, nihil sanctius reperies. Et hoc quidem explicare, ac demonstrare in hoc opusculi libro, aggredior: speroque me ita effecturum, ut nihil a me, per exaggerationem esse dictum, æqui rerum æstimatores, judicaturi sint.

CAPUT I.

De excellentia rei, quæ colenda proponitur.

REs, quæ in hoc religionis officio colenda proponitur, ipsum est cor Jesu, ut superiori libro stabilivimus. Hujus porro cordis quanta sit nobilitas, & excellentia, toto hoc capite prosequemur: sed ante omnia hanc observationem præmittendam duximus de excellentia carnis Christi, utpote quæ ad finem nostrum mirifice conducere visa est.

Nemo est qui dubitet, sanctissimam Christi Jesu carnem dignissimam esse, cui peculiaris honor a fidelibus adhibeatur: tum ob illius intimam cum verbi divini persona conjunctionem; tum ob immensam coelestium gratiarum copiam in ipsam cumulatissime congestam; tum ob ea, quæ ad Dei gloriam, seu agendo, seu patiando, mirabiliter contulit; atque in primis propter acerba omnia, quæ passionis tempore, ceu victima divi-

næ

næ justitiæ, pro hominum salute ac peccati expiatione perpeffa est; denique ob fingularem illam ac plane divinam prærogativam, ad quam ab omnipotentia divina eveffa est, ut animarum nostrarum cibus, vitæque spiritalis & æternæ alimentum fieret; simulque gratiam sanctificantem, qua nihil in rebus creatis excellentius fit, in sacramenti susceptione produceret. Hæc enim omnia Christus carni suæ, expressis ac indubitatis verbis attribuit. *Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Ex his omnibus ac fingulis capitibus manifestum plane fit, carnem illam divinissimam, suprema Angelorum & hominum adoratione, infinitoque amore esse dignissimam. Et vero certis illis, solidisque rationibus adducta est Ecclesia, Spiritu Sancto quo semper regitur docente & impellente, ut festum solemne institueret, sacrosanctæ carni colendæ destinatum: quod quidem festum, nomine *Corporis Christi* insigniri voluit, ut ex ipsa appellatione, solemnitatis finis ac scopus agnosceretur: certum quippe est (quanquam id fortasse aliqui non satis advertant) verum ac proprium hujus festivitatis objectum, ipsam esse Christi carnem, Ecclesia aperte profitente, se sacra mysteria *Corporis*

& *Sanguinis* Christi sacro illo die venerari; ipsaque divini officii ratio ejusdem solemnitatis propria, id ipsum quodammodo clamat; ut attendenti perspicuum erit: itaque non animam Christi, non divinitatem, non personam, hocce festum *Corporis Christi* proprie respicit (quanquam & hæc quidem indirecte, & ut ajunt concomitanter) sed ipsum ipsum corpus & sanguinem, ipsam ipsam carnem directe, proxime, & immediate attingit. Scilicet æquissimus remunerator Deus, voluit carni amantissimi Salvatoris, tam acerba, tamque indigna pro sua gloria hominumque salute passæ, honores solemnnes tota Ecclesia conciliare; quo labores, probra, ignominia, dolores ab ea suscepta & tolerata, publica illa ac solemnissima totius Ecclesiæ veneratione, compensarentur ac quodammodo abolerentur.

*Bourdaloue
serm. in so-
lemnit. Corp.
Christi.*

Hæc porro observatio ab aliis antea facta, recens a doctissimo totaque Europa celeberrimo verbi Dei præcone, mirifice adhibita est in sermone habito in solemnitate corporis Christi, qui cum aliis editus est; in quo videlicet dedita opera panegiricum carnis Christi instituit; mira que suo more differit, tum de dignitate sacratissimæ carnis; tum de veneratione eidem adhibenda; tum de fine ab Ecclesia in hac celebritate intento, qui alius sane non est, quam quem modo diximus; tum denique de ratione qua Caro illa divinissima coli a fidelibus debet.

His notatis jam ad Cor Jesu veniamus. Nihil vereor affirmare, id omne quod in carne seu corpore Christi idoneum esse potest ad populorum devotionem allien-

cien-

ciendam, fovendamque, adeo perfecte ac cumulate in Corde illius collectum reperiri; ut mirum prorsus videri debeat, negari a quoquam potuisse, hos honores cordi divinissimo esse concedendos, quos sacro ejusdem corpori deferendos, tota Ecclesia prædicat. Ut autem in re per se clarissima rationibus etiam agamus: notandum, Cor Jesu duobus omnino modis considerari posse. Primum, in se ipso, juxta excellentiam sibi propriam. Deinde comparate ad homines, quibus colendum proponitur.

De excellentia Cordis JESU in se spectati.

Excellentia Cordis Jesu in se spectati, ex sequentibus maxime titulis ducitur: quæ si non cursim, ac præcipitanter legantur, sed attente & studiose perpendantur, divino præsertim requisito lumine; quæ fit singulorum vis ad persuadendum quod intendimus, aspirante gratia sentietur.

I.

Primo igitur excellentia Cordis Jesu ducitur ex proprietatibus cordi naturaliter insitis. Scilicet pars est præcipua ac nobilissima corporis Christi, juxta Philosophorum omnium de cordis humani natura differentium sententiam. Quum autem in rebus corporeis omnino nihil sit corpore Christi excellentius aut divinius, liquet quid de cordis illius excellentia censendum sit. Deinde juxta eorundem Philosophorum doctrinam, cor huma-

num principium est vitæ naturalis cuiusque hominis: atque ita Cor Jesu principium est vitæ naturalis hominis Dei. Quæ quum infiniti pretii sit, consequens est, ut infiniti quoque pretii cor ipsum habeatur. Denique hoc habet peculiare ac proprium cor nostrum, ut in eo, ceu receptaculo, sanguis contineatur, formetur, perficiatur: igitur ex valore ac dignitate divinissimi Sanguinis Christi, qui redemptionis nostræ pretium fuit, ipsius quoque Cordis pretium, ac dignitas æstimari certo potest; nec absimilis honor, ac reverentia utrique debetur.

II.

Secundo ducitur ex conjunctione cum anima inter omnes excellentissima, cujus omnium affectionum (eo sensu & modo quo explicatum est) Cor Jesu organum est, atque instrumentum nobilissimum. Conjunctiono autem illa cordis cum anima hoc habet peculiare, ut ipsi cordi tantum ferme dignitatis & excellentiæ tribuat quantum ipsi animæ inest; ut patet in cordibus virorum illustrium, quibus honores deferri solent post mortem, excellentiæ animorum quibus fuere conjuncta proportionati: quod omnium gentium usu comprobatum est. Si ergo excellentia Cordis Jesu ex ejusdem animæ excellentia mensuranda est, quanta demum censenda est?

III.

Tertio ducitur ex arctissima, & substantiali, ut ajunt, unione quam habet Cor Jesu cum persona verbi divini,

ni. Quæ ineffabilis conjunctio quum vere reapse & absolute Cor Jesu divinum efficiat, utpote vere Cor Dei: hoc ipso, cæteris omnibus rebus creatis eminere facit, cunctisque illius, vel levissimis affectionibus, commotionibus, ac ut ita dicam palpitationibus valorem infinitum conciliat. Sane quælibet res, quæ personam Jesu attingit, eo ipso dignissima veneratione redditur: nullaque pars est sacrosancti corporis quantumvis exigua, non gutta sanguinis, non levissimus capillus, quæ adoratione nostra digna non sit. Imo res per sese contemtibiles vilissimæque, solo corporis Jesu contactu honore maximo quæ censentur; ut videre est in Cruce, clavis, lancea, spinis &c. Quid igitur faciendum Cordi Jesu? quo demum honore congruo prosequi convenit? quid enim, si lancea ob idipsum dumtaxat quod Cor Jesu tetigit, ac vulneravit (ut communis est fidelium sententia) hominum, Angelorumque veneratione digna facta est; quid merebitur Cor ipsum, ex cujus solo contactu tantum excellentiæ vili ferro partum est?

IV.

Quarto ducitur excellentia Cordis Jesu ex functione omnium excellentissima, ad quam formatum destinatumque fuit; quæ alia non est, quam ut arderet indefinenter flammis amoris divini, quibus revera a primo creationis suæ momento semper mirabiliter arsit, ardebitque sine intermissione in æternum. Porro si quis æstimare novit quæ sit divini illius amoris excellentia,

næ

næ ille facillime judicabit, quæ & qualis esse debeat excellentia cordis ad hunc finem præcipue procreati, ut divinum illud amoris incendium in omnem æternitatem & pateretur, & faceret. Atque ex isto maxime titulo intelligere licebit quantopere Cor illud divinissimum Patri æterno complacitum esse debeat; quum nihil in conspectu ejus acceptius esse omnino possit amore illo unigeniti Filii sui. Et quidem singularis illa dilectio, qua Pater Æternus Cor Jesu complectitur, tam aperte ex variis revelationibus minime suspectis, & suo loco a nobis afferendis constat; ut vix vocari in dubium prudenter posse videatur. Cujus sane rei causæ, æquum est, ut a viris spiritualibus investigentur; ac fidelibus ad Sanctissimi cordis gloriam, juxta divinum beneplacitum manifestentur. Hoc vero munere dum nos præsentis opusculo fungimur, ac pro tenuitate nostra lucem aliquam veritati in umbris adhuc delitescenti afferre conamur, vehementer optamus, precamurque, ut Deus aliis famulis suis nobis aptioribus dignioribusque, lumen copiosius infundere dignetur; quo divinissimi Cordis excellentia, illorum opera, luculentius cognosci possit. Nam ex iis certe quæ jam innotuerunt, æstimari tuto potest latere in hoc sacrosancto Corde ineffabiles divitias mundo adhuc incognitas; quæ ut tandem aliquando cognoscantur, & Deo maxime gloriosum, & Ecclesiæ fructuosissimum futurum sit.

V.

Quinto ducitur excellentia Cordis Jesu ex sanctitate
ipsi

ipsi propria. Fide constat, Cor Jesu sanctum esse sanctitate verbi divini, atque adeo sanctitate infinita. Sed hæc sanctitas singulis corporis partibus communis est; hinc peculiarem ac cordis propriam attingimus. Circa quod, hæc observanda. 1o. Corpus humanum animæ cui conjunctum est sanctitati participat: inde honos Sanctorum reliquiis debitus. Quo vero anima sanctior, eo quoque sanctius ipsum corpus: quare reliquiæ sanctorum magis insignium, insigniores etiam ac pretiosiores habentur. 2o. Inter omnes corporis partes, ea quæ sanctitati magis participat ipsum est cor: unde fit ut inter cæteras corporis Sanctorum reliquias hæc pretiosissima habeatur. Ratio vero discriminis peti debet; primo quia cor, quum omnium affectionum sanctarum, quibus ipsa animæ sanctitas perficitur, cooperato suo modo fit, ac propria sedes; necesse est, ut ex illo quidem capite sanctitati magis communicet. Deinde (quod peculiari hinc animadversione dignissimum videtur) certum est excellentiora Spiritus Sancti dona, quæ Deus eximiis ac selectis famulis suis divinitus infundere solet, in cordibus eorum præcipua quadam ratione (quoad effectus sensibiles) recipi, ac contineri. Ita sane, cœlestium charismatum infusiones, gratiæque impressiones extraordinariæ, favores denique omnes peculiare, quibus Deus homines ad sublimiorem sanctimoniam evehit, aut jam evectis gratificatur, corda ipsorum præcipue afficere solere indubitatum est. Scilicet in cor dulcedo cœlestis ac suavitas instillatur: in corde dolores & angustia di-

vinitus immiffæ sentiuntur: e corde gemitus erumpunt, & fufpiria: e corde languores, & amoris divini deliquia enafcuntur: five contingat animum extraordinario illo divini amoris igne succendi, iifdem continuo flammis cor aduritur; five anima vehementiori peccatorum dolore penetretur, eodem illico doloris aculeo cor transfigitur ac laceratur; five illa cœleftibus deliciis delibuta Dei fui facris amplexibus fruatur; aut contra, ut in vita fpiritali affolet, variis anguftiis, afflictionibus, mœroribus, aliifque laboribus interioribus oppreffa probetur ac purificetur; iifdem omnibus affectionibus cor extraordinarie commovetur: adeo ut ipsis fanctis attestantibus, cuncta hæc in solo corde recipi, contineri, agi, ac perfici vividiffime fentiat. Certum rurfus eft, non aliam in corpore noftro Spiritus fancti fenfibilem fedem effe, non aliud templum quam ipfum cor: non alibi Chriftus Dominus fe præfentem fenfibiliter reddit; non aliud in membris nofttris eligere domicilium folet. Quæ omnia experientia ac teftificatione Sanctorum adeo certa funt, ut nemo fit vitæ interioris arcanis initiatus, qui de his dubitare poffit.

Jam vero, quantum his omnibus Spiritus Sancti muneribus, donis, gratiis, favoribus, infufionibus, impreffionibus, deliciis, doloribus, in cordibus Sanctorum receptis, ipfa corda fingulariter, ac miro quodam modo fanctificata maneat: eoque perfectius, quo munera illa omnia perfectiora funt, res ipfa per fe clamat, nec explicatione indiget. Ex quo demum intelli-
gere

gere licet, quid de sanctitate Cordis Jesu cense-
 reat: quum manifestum sit, quicquid in eo gratiarum
 genere in Sanctorum cordibus extitit, etiamsi omnia
 simul in unum colligantur, nihili prorsus facienda esse,
 si cum divitiis Cordis Jesu comparentur. O si divitiæ
 illæ immensæ, O si fontes illi uberrimi sanctitatis,
 O si harum prerogativarum pretium infinitum probe
 a fidelibus, affulgente divina luce, cognosci possent!
 Nihil certe desiderandum ultra remaneret, ad excellen-
 tiam Cordis Jesu demonstrandam, alteque in omnium
 animis imprimendam.

VI.

Sexto ducitur excellentia Cordis Jesu ex virtutibus,
 quarum principium ac sedes est; uti antea sæpe dixi-
 mus: sed dictis hæc addidisse juvabit. Observandum
 itaque, id quod apud omnes gentes, natura ipsa do-
 cente, communiter & universe receptum est: imo quod
 ipso Spiritus Sancti eloquio in omnibus Scripturæ pa-
 ginis confirmatum invenitur: videlicet cor humanum
 arctissimam habere cum animi virtutibus conjunctio-
 nem; iisque ipsis virtutibus suo modo, ac peculiari
 quadam ratione vere perfici, ornari, ac nobilitari; quem-
 admodum suo quoque modo vere ad earum produ-
 ctionem cooperatur, ut supra diximus. Et vero cerni-
 mus virtutes animi proprias, cujusvis demum generis
 illæ sint, cordi etiam ipsi vulgo tribui. Sicut enim ani-
 mo adscribitur patientia, mansuetudo, humilitas, obe-
 dientia, liberalitas, celsitudo, magnificentia, magna-

nimitas; ita & cordi eadem virtutes tribuuntur. Dicitur enim, communi apud homines sermone in sacris etiam codicibus usurpato, cor patiens, cor mansuetum, cor humile, cor obediens, cor liberale, cor generosum, cor magnificum, cor magnanimum. Imo sicut animorum, ita & cordium excellentia, ex harum excellentia virtutum, æqua proportione mensuratur. Scilicet corda virorum illustrium, heroum, summorum Ducum, inclytorum Principum; sed præcipue, ut decet, Sanctorum & amicorum Dei eo studiosius commendantur ac coluntur, honorificentiusque habentur, quo personæ, dum viverent, sublimioribus instructæ fuere virtutibus. Cujus rei ratio, hæc, quam sæpe diximus, congruenter afferri posse videtur: quod scilicet affectiones animi & virtutes, in cor naturaliter ac sensibilibiter derivatæ, ita ipsum afficere solent, ut earum propria causa ac sedes esse videatur. Quare eo excellentius apud homines haberi convenit, quo virtutes ex illo fonte excellentiores prodire, hæcque sedes illustrioribus quasi ornamentis decorata fuit. O quid igitur existimandum de excellentia Cordis Jesu, omnium nempe summarum virtutum fontis: cujus comparatione quicquid magni, quicquid excellentis in cæteris cordibus reperitur, vile prorsus nulliusque pretii judicandum est! Quid enim prohi summe Deus, excellentius, nobiliter, admirabilius eo Corde, in quo nihil esse potuit, quod infinitam Dei majestatem non deceret; omniaque esse debere, quæ divinæ excellentiæ convenirent, ac congruerent! Quis æstimare queat hujus di-

vi-

vini Cordis, qualis quantusque fuerit erga Deum Patrem amor; quam incensum illius gloriæ, quamque immensum studium; quæ ejus summifio; quæ obedientia; quæ fiducia; quantus de injuriis divinæ bonitati factis dolor? Erga homines autem quæ illius misericordia; quæ patientia; quæ charitas? De virtutibus vero, quæ majorem apud homines habere admirationem solent, quales sunt fortitudo, constantia, animi celsitudo, liberalitas, magnificentia, magnanimitas; ecquis exprimere aut etiam cogitatione assequi valeat, quantæ, quamque admirabiles fuerint in Corde Jesu?

VII.

Septimo denique, quo res aliqua creata plus ad Dei gloriam conducit, eo profecto & Deo chariorem, & hominum cultu, amoreque digniorem esse necesse est. Hæc enim vera ac certa norma est, si recte judicare velimus, pretii ac meriti cujuscumque rei. Unde aperte sequitur, Cordi Jesu singularem plane, imo summum honorem inter cæteras omnes res creatas esse deferendum; quum alia nulla sit quæ ad Dei gloriam plus contulerit, adhucque conferat, æternumque collatura sit, quam Cor Jesu; ex quo nimirum tanquam ex fonte omnes Christi affectiones, quibus Deus infinite colitur, prodire.

Atque ex illis quidem omnibus considerationibus rite perpenfis evidens redditur, Cor Jesu in seipso spectatum, quod primo loco proposuimus, rem esse

supra omnem modum excellentissimam, infinitaque veneratione dignissimam. Verum hæc eadem veritas longe fiet illustrior ac evidentior, si Cor illud divinissimum considerare jam libeat comparate ad homines, quibus colendum proponitur. Quod erat secundo loco explicandum.

De Corde JESU comparate ad homines.

Enim vero quid fidelibus populis exhiberi potuit ad eorum aut venerationem excitandam, aut amorem alliciendum potentius, quam Cor divinissimum & amabilissimum Redemptoris? Quæ demum alia res, seu in Cælo, seu in terris cogitabilis est, non modo sanctior, verum etiam dulcior & amabilior: ad cujus nimirum aspectum subito in memoriam suavissime reducuntur, tum amor immensus quo amantissimus Dominus homines complexus est; tum beneficia numero ac magnitudine infinita ab eo in genus humanum profecta; tum denique labores ac dolores quos nostrum omnium causa toleravit. Hæc enim omnia in eo sacratissimo Corde non contenta solum, sed descripta quodammodo, & quasi insculpta cernuntur. Quæ dum dicimus, si quis statim non sentiat, næ ille humano sensu plane carere judicandus est. Ego sane quum mecum ipse animo reputo, quid natura ipsa in nobis efficiat, quosve animi sensus inspiret adversus earum personarum corda, quibus nos aut ardentissimus amor conjunxit; aut gratus animus arctissime devinxit. Quum
exem-

exempli causa considero, quid sponsa carissima experiatur ac sentiat ad aspectum cordis sponsi dilectissimi, in pignus amoris ab eodem moriente relictæ ac transmissi. Quid in simili casu aulicus, aliufve subjectus ab optimo Rege beneficiis cumulatus persentiat, cui videlicet cor Regis sui ac benefactoris munificentissimi in benevolentia monimentum sibi in morte legatum recipere contingit: quo animi affectu, qua charitate, quo amore, qua veneratione, quam illustribus grati animi testificationibus charissima illa pignora admittantur: quam decenter, quam honorifice ac magnifice collocentur: quanta cura ac studio conserventur. Hæc inquam quum animo reputo, pudet profecto quum me huc adigi video, ut rationibus evincam, Cor Jesu a fidelibus venerandum & amandum esse.

Cogita igitur, quisquis hæc legis, animoque revolve, agi in præsentia de Corde Dei ac Creatoris nostri, Redemptoris nostri, Regis nostri, benefactoris nostri, amici, fratris, ac Patris nostri, sponsi denique nobilissimi ac dilectissimi animarum nostrarum; hæc inquam cogita, hæc animo revolve, teque ipsum tacitus consule, quid demum honoris, quid amoris, quid pietatis, Cordi amantissimo ac divinissimo debeatur. Cogita quid facturus esset populus Christianus, si contingeret Cor illud Sacrosanctum, a nobis tot capitibus colendum & amandum, in nostra esse potestate. Finge tantisper ejusmodi casum, nimirum quod in orbe Christiano, peculiaris quædam Ecclesia Cor divinissimum Jesu inter sacras reliquias sibi proprias

prias possideat. Proh Deus immortalis, quantus demum ille thesaurus haberetur! Quam dives ac fortunata Ecclesia illa censeretur! Qui honores deferrentur! Qua pompa, quibus gaudiis, quo Provinciarum omnium concursu ac Jubilo festivitas divinissimi Cordis ageretur; quod studium peregrinorum, quæ sollicitudo quærendi, quis ardor videndi, adorandi, osculandi! Hic vero jam mihi quærere liceat, an hoc studium, hic amor, hæc pietas, hæc officia religionis quæ Cordi Jesu mortuo, & a reliquo corpore avulso nulloque sensu prædito deberentur; negari æquum videatur eidem Cordi viventi, sentienti, amanti: scilicet conjunctio illa quam nunc habet cum reliquo corpore; vita ac sensus quibus præditum est, ejus fortasse excellentiam minuunt, minusque dignum reddunt hominum veneratione & amore. O cæcitatem humanæ mentis quæ hæc non videat! O Cordis incredibilem duritiam, quæ hæc non sentiat! O vim præjudiciorum stupendam, si in tam clara luce offusæ menti tenebræ non discutiantur.

Unum ego dumtaxat in re præsentis cuperem, quod ad omnium voluntates permovendas & ad desideratum finem perducendas sufficientissimum esset; nimirum ut fideles Cor amantissimi Redemptoris identidem contemplarentur amore ipsorum perpetuo ardens; miseris illorum toties vehementer commotum & afflictum; toties ob peccata eorum amarissime vexatum ac contritum; in quo consilia omnia ad eorum felicitatem pertinentia suscepta sunt; ex quo tanquam ex fonte bona cuncta quibus in præsentia gaudent, aut quæ

quæ in futurum expectant, prodierunt aut prodibunt. Denique (id quod præcipua hîc consideratione dignum est) tot ac tantis doloribus hominum amore oppressum, ut vere de eo affirmari possit, ipsum solum plura & acerbiora nostri causa pertulisse, quam reliquas omnes divinissimi corporis partes etiam simul sumtas. Certum quippe atque indubitatum apud omnes est, interiori Christi Salvatoris passionem, exteriori, multo fuisse acerbioram ac crudeliorem: passio autem illa interior, quanta quanta fuit, tota Cordis fuit; hanc totam, Cor præcipue, imo ut verius loquar, unice toleravit: in hoc quippe sanctissimo Corde omnes animæ dolores ceu in centrum quoddam confluxere. Ita sane est, quicquid tristitia illa *usque ad mortem*; quicquid derelictio Patris; quicquid contritio peccatorum immensa; quicquid timor, tædium, pavor; quicquid agonia sudore sanguineo mista acerbi, amari, crudelis, terribilis habuere seu in horto, seu in decursu passionis, seu demum in Cruce; quod certe omnem excedit fandi aut cogitandi facultatem, id totum calix fuit Cordis proprius: ineffabile illud dolorum pelagus totum in Cor confluxit: his fluctibus amaritudine quadam immensa infinitoque dolore Cor impletum & obrutum est. O si liceret statum illum afflictiissimi Cordis graphice describere! O quin tibi hoc ipsum liceat Angelorum fortunatissime, cui a Deo Patre concessum ac commissum est, Cor divinissimum in agonia constitutum consolari ac confortare; ut quæ tunc lugens contemplatus es, ea nunc

ad nostram totiusque Ecclesiæ disciplinam, & ad hujus Sacrosancti Cordis gloriam oculis mentis nostræ depingere possis! Quam facile cunctis de repente appareret, Cor Jesu, amoris divini severitati relictum, ad statum longe luctuosioreni fuisse redactum, quam ipsum corpus militum furori tortorumque crudelitati permissum. Et hunc quidem sacratissimi Cordis statum propheta dicitur *Psal. 21.* pridem verbis expresserat. *Factum est Cor meum tanquam cera liquefcens in medio ventris mei. Im-*
Psal. 68. *properium expectavit Cor meum & miseriam. Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni.*

Hæc sunt quæ a fidelibus, ut supra dicere cœperam, attentius considerari vellem; certissime confidens, his considerationibus amorem ac pietatem adversum Cor Jesu non posse non excitari, ac vehementer accendi. Quid enim, si carnem Christi sanctissimam in passione pro nobis miserabiliter lacertam; si pedes, manusque amore nostri clavis fixa contemplari non possumus absque tenero pietatis sensu, quo permoti carnem illam innocentissimam plagis coopertam, pedes ac manus vulnerata veneramur, amamus, complectimur, osculamur; quo tandem pacto, ipsum amantissimi Salvatoris Cor, tantis immersum doloribus, ac lanceæ demum crudeli vulnere percussum & apertum, inspicere valeamus sine intima præcordiorum commotione, inflammatoque pietatis studio?

Supereft ut his omnibus considerationibus in laudem

dem Sanctissimi Cordis hæctenus adductis, hanc ultimam, viris spiritualibus magis propriam adjiciamus. Scilicet Cor Jesu vulneratum & apertum, veluti asy- lum quoddam tutissimum, animabus singulari purita- te ac charitate præditis, esse præparatum; in quod con- fugere debeant ac soleant, invitante Spiritu Sancto in Cant. c. 2. *Veni Columba mea, in foraminibus petrae, in ca- verna maceriae.* Una est enim Patrum, ac interpretum sententia, vocibus illis vulnera Christi indicari: ita ut per foramina, plagæ pedum manuumque; per ca- vernam autem ipsum latus, ac cor lancea apertum, si- gnificentur. Porro solemne esse puris ac fidelibus ani- mabus in hoc asylum confugere, ibique quasi mansio- nem collocare, certa res est Sanctorum experientia comprobata: quorum selecta aliqua testimonia hîc adjungere placet.

S. Bernardus, de Corde Jesu vulnerato differens, pios *Tract. de*
animi sui sensus erga Cor illud divinissimum, in hunc *Pass. c. 3.*
modum expressos reliquit. Quia semel venimus ad Cor
« dulcissimum Jesu, & bonum est nos hîc esse, ne finamus
« nos facile avelli ab eo. Accedamus ad te, & lætabimur
« & exultabimus in te, memores Cordis tui. O quam
« bonum, & quam jucundum habitare in Corde hoc.
« Bonus thesaurus, bona margarita Cor tuum bone Je-
« su... Quis hanc margaritam abjiciat? Quin potius
« dabo omnia & comparabo illam mihi, jactans omnem
« cogitatum in Cor Domini Jesu: ad hoc templum, ad
« hæc Sancta Sanctorum, ad hanc arcam testamenti ado-
« rabo & laudabo nomen Domini, dicens cum David: «

» inveni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego
 » inveni cor Regis, Fratris & amici benigni Jesu, &
 » numquid non adorabo? Orabo utique, cor enim illius
 » meum est, audacter dicam: nam si caput meum Chri-
 » stus est, quomodo quod capitis mei est, non meum est?
 » Hoc igitur Corde tuo & meo, dulcissime Jesu, inven-
 » to, orabo te Deum meum: admitte tantum in sacra-
 » rio exauditionis tuæ preces meas; imo me totum trahe
 » in cor tuum. O omnium speciosissime Jesu amplius
 » lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda
 » me, ut in Corde tuo omnibus diebus vitæ meæ me-
 » rear habitare. Ad hoc enim perforatum est latus tuum,
 » ut nobis patefcat introitus: ad hoc vulneratum est Cor
 » tuum, ut in illo, & in te ab omnibus perturbationi-
 » bus absoluti habitare possimus... propterea vulnera-
 » tum est, ut per vulnus visibile vulnus amoris invi-
 » sibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi
 » potest, nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum
 » Cor lancea vulnerari permisit... Quis illud Cor tam
 » vulneratum non diligat? Quis tam amantem non re-
 » damet?

Stim. Div. amor. c. I. D. Bonaventura, agens de Christi vulneribus
 » hæc habet: O amantissima vulnera Domini nostri
 » Jesu Christi! quum in ea subintrarem, perveni ad inti-
 » ma viscera charitatis suæ, ibi inhabito... ibi tanta
 » abundo dulcedine, ut tibi non valeam enarrare. O cæ-
 » citas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Christo ne-
 » sciunt introire! Beatitudo Angelorum patet, & cir-
 » cumstans paries ejus confractus est, & vos introire negli-

gligitis. Crede mihi, o homo, quia si in Jesum per hæc «
 angusta foramina introire volueris, non solum anima, «
 sed etiam corpus tuum quietem ac dulcedinem mira- «
 bilem inueniet... & si ita accidit de corpore, quanta «
 putas animam frui dulcedine, quæ per illa foramina «
 conjungitur Cordi Christi: certe exprimere nequeo: «
 sed experire. Ecce aperta est apotheca omnibus aroma- «
 tibus plena... ecce aperta est janua Paradisi, & per «
 lanceam militis gladius versatilis amotus est: ecce aper- «
 tus est thesaurus sapientiæ, & charitatis æternæ: intra «
 ergo per vulnerum aperturam. O quam beata lancea «
 & beati clavi qui apertionem hujusmodi facere merue- «
 runt. O si fuisset loco illius lanceæ, exire de Christi «
 latere noluissem, sed dixissem: hæc requies mea in sæ- «
 culum sæculi, hîc habitabo quoniam elegi eam. O ani- «
 ma ecce sponsus tuus dulcissimus præ nimio amore «
 aperuit tibi latus, ut tibi tribuat Cor suum. «

Illuc quoque spectabat Augustinus in manuali cap.
 23. Longinus, inquit, aperuit mihi latus Christi lan- «
 cea, & ego intravi, & ibi requiesco securus. Quæ «
 Augustini verba Doctissimus Suarez referens, agens
 de vulnere lateris Christi, hæc habet. *Christus vul-* In 3. part.
T. 2. disp.
41. sect. 1.
nerari voluit in ea parte Corporis, qua ejus Cor ho-
minibus quasi patere posset; ut intelligerent sibi aper-
tum ostium, per quod in Cor Christi ingredi, illicque
possent requiescere.

Idem experiebatur S. Laur. Justin. tract. de casto
 connub. c. 8. Ostia hæc intuemini: lateris, manuum- «
 que, pedumque fixuras videte Redemptoris: apertæ «

I 3 sunt,

» sunt, introire ne timeatis: intus est latitudo immen-
 » sa, deliciae inestimabiles, & odorama, per quae
 » interiores animae sensus reparantur, & pacatissima
 » quies.

Idem testatur S. Thomas de Villanova, concione
 » 2. in Asc. Dom. Turtur ipsa est casta & gemebunda
 » Ecclesia, sponsi sui solatio viduata; cui in hac viduita-
 » te gemitus continuus pro cantu est... nidus turtu-
 » ris pectus est dilecti sui, in quo per lateris aperturam
 » subintrans, secura nidificat.

Idem & Guericus Abbas, sermon. 4. in Do-
 » min. Palm. Benedictus, qui ut nidificare possem in
 » foraminibus petrae, latus perforari sibi tulit; & se mihi
 » totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admi-
 » rabilis... tuta habitatio, fratres mei, turrisque forti-
 » tudinis a facie inimici: ingredi in petram, o
 » homo; & abscondere in fossa humo... in fossa latere
 » te ipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi,
 » quid, nisi ostium in latere arcae, salvandis a facie di-
 » luvii... ideo latus suum aperuit ut spiritus Cordis qua-
 » si patenti & libero meatu aspiret: ibi tuto latebis... ibi
 » deliciis affluas.

Verum has affectiones erga Cor Jesu, animique
 delicias ex illo divinissimo fonte prodeuntes, nemo
 suavius degustavit, aut mirabilius expertus est, quam
 selectae quaedam Virgines a Christo Domino praecipuo
 amore dilectae, & ab ipso coelesti sponso Cordis sui di-
 vitias edoctae; quarum aliqua testimonia hic apponere
 operae pretium visum est. Eminent inter caeteras S.

Ger-

Gertrudis, ex cujus vitæ actis, ac revelationibus perspicuum fit vix aliam in Ecclesia Virginem reperiri, in quam tot tamque admirabiles gratias ac favores Deus contulerit: hæc igitur divinitus inspirata ardentissimo semper erga Cor Jesu accensa studio fuit; atque ex illo sacratissimo fonte infinita gratiæ dona, cœlestesque delicias perenni fluxu in se emanasse testatum posteris scripto reliquit. Insignis est in primis ille locus libri 2. cap. 23. (qui liber ab ipsamet virgine conscriptus est) ubi post enumerata multa atque mira beneficia, sibi ab infinita Dei liberalitate concessa, gratiasque agens pro singulis; de beneficiis e Corde Jesu in se profectis subjungit in hæc verba, quæ uti jacent in libro insinuat: refero. Præter hæc omnia, addidisti etiam mihi inæstimabilem amicitiae familiaritatem impendere, nobilissimam illam Deitatis arcam, scilicet deificatum Cor tuum diversis modis mihi præbendo in copiam omnium delectationum mearum: nunc illud mihi gratis donando, nunc ad majus mutuae familiaritatis indicium illud cum meo commutando: cum quo Corde, tam occulta secretorum judiciorum simul & deliciarum tuarum mihi manifestasti; ac tam amicissimis blanditiis, animam meam multoties liquefecisti; ut si abyssalem superfluentiam dignationis tuæ ignorarem, mirarer si intelligerem, te, vel Matri tuæ benignissimæ tecum in Cœlo regnanti, tales blanditias, tam dignantissimo affectu exhibuisse. Eodem lib. 2. c. 21. hæc refert. Super hæc omnia adjecit inæstimabilis virtus charitatis tuæ, Deus meus, hæc dona
su-

» supra dicta tali pacto dignantissime obfirmare. Nam
 » quum die quadam ea beneficia mente revolverem, &
 » usque ad illam præsumtionem ducta fuisset, quod
 » causerer te mihi ea beneficia more pollicitantium
 » manu ad manum non firmasse; tua tractabilissima sua-
 » vitas his querelis se benignissime satisfacturum pro-
 » misit, dicens: ne hoc causeris, accede & suscipe pacti
 » mei firmamentum. Et statim parvitas mea conspexit
 » te, quasi utrisque manibus mihi pandere arcam illam
 » divinæ fidelitatis, atque infallibilis veritatis, scilicet
 » deificatum Cor tuum; & jubentem me perverfam mo-
 » re judaico signa quærentem, dexteram meam exten-
 » dere, & in sacratissimum Cor tuum mihi patefactum
 » immittere: & manu mea sic in Cor tuum inclusa
 » dixisti: ecce dona tibi collata me tibi illibata servatu-
 » rum promitto.

In revelationibus Beatæ Mechtildis (de qua Cani-
 fius noster ita loquitur: Virgo divino spiritu illustrata,
 & in sacris revelationibus probe sancteque versata: tam
 sancta & sapiens, ut electum Dei organum præclaris
 divinisque dotibus ornatum, quum viveret, merito
 haberetur; multaque miranda per illam suam sponsam
 Christus & docuerit & ostenderit) Hæc commemo-
 rantur. Respondit Dominus do tibi Cor meum in pi-
 gnus... do etiam tibi Cor meum in domum refugii...
 hoc donum unum erat ex præcipuis donorum Dei... cœ-
 pitque ex tunc mira devotione circa divinum Cor Do-
 mini Jesu affici; & fere quotiescumque illi Dominus
 apparebat, aliquod speciale donum a Corde ejus accipie-
 bat

*De gratia
 spirituali
 seu revelat.
 B. Mecht. l.
 1, c. 28. ed.
 Venet. ann.
 1558.*

bat : sicut patet in multis locis libri hujus . Sæpe etiam ipsa simpliciter ita dicere solebat : si omnia scribi deberent , quæ a benignissimo Dei corde mihi collata sunt bona , matutinalis libri quantitatem excederent .

Alia bene multa de Sacrosancto Corde Jesu passim in dictis revelationibus tam S. Gertrudis , quam S. Mechtildis reperiuntur ; quæ consulto prætermittimus , tum ut brevitati consulamus : tum quia cœlestes ejusmodi favores , inexpertæ multitudini concedere fortasse minus expediat .

CAPUT II.

Satisfit objectionibus .

QUum ex hætenus dictis , & ex iis maxime , quæ capite superiori explicata sunt , erui potissimum debeant responsiones ad argumenta contra cultum Cordis Jesu jactari solita ; operæ pretium videtur , dum ea quæ dicta sunt ex recenti lectione adhuc memoriæ hærent , has objectiones dissolvere . Neque enim alius in hoc opusculo locus opportunior occurret , huic muneri faciendi satis . Age igitur oppugnantium rationes excutiamus , earumdemque inanitatem , divino aspirante lumine , ostendamus .

OBJECTIO I.

Ajebant primo , Cor Jesu rem esse prorsus materialem,

K lem,